



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Romanvm III. Qvo Petrvs In Cavsa Photii Restitvendi missus est  
Constantinopolim anno Domini DCCCLXXIX. tempore Ioannis VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO CHRISTI 879. uernensi, IV. Idus Septembres, hoc est triduo post coronationem istam Trecis datum, in quo non aliud se quam regem vocat his verbis, *Ludonicus misericordia Dei rex*? Rex ergo fuit, non imperator: imperatoris vero titulum, antiquis ignotum, alii postea temere affinxerunt.

ANNO CHRISTI 879. CONCILIVM ROMANVM II.  
OB ELECTIONEM NOVI IMPERATORIS  
post obitum Ludouici III. cognomento Balbi congregatum, anno Domini DCCCLXXIX. tempore Ioannis papæ VIII.

NOTA.

\* *Concilium.*] Cum Ludouicus tertius. 4. Idus Aprilis die parasce-  
ues circa vesperum, anno Redemptoris nostri 879. obiisset, eaque de  
re Ioannes papa VIII. certior factus esset, Synodum Romæ indixit,  
teste Aimoino, mense Maio celebrandam. Ad Ansperum Mediola-  
nensem archiepiscopum, quem ad hanc Synodum vocabat, scribens  
epistolam 155. hæc ait: *Quia Carolmannus corporis, sicut audiuiimus  
incommode grauatus, regnum retinere iam nequit, de noui regis elec-  
tione, ut omnes pariter consideremus, vos predicto tempore adesse, nem-  
pe ad Kalendas Maias valide oportet. Et ideo antea nullum absque no-  
stro consensu regem debet recipere. Nam ipse qui a nobis est ordinandus  
in imperium, a nobis primum atque potissimum debet esse vocatus atque  
electus, &c.* Carolum Crassum filium Ludouici fratris Caroli Calui  
erga quem propensior erat, Romam vocat. Cumque Ansperus ad  
Synodum vocatus venire noluisset, atque interea de eligenda Caroli  
persona propositum immutasset, post dictam in Ansperum excom-  
municationis sententiam, suspensa est noui imperatoris electio usque  
ad biennium, quo clapo Carolus, post Italiam sepe armis subactam,  
anno Redemptoris nostri 881. die nativitatis Romæ a Ioanne VIII.  
creatus & coronatus est, postquam biennio interregnum fuisset. Ita  
Regino in chronico, & Aimoinus lib. 5. c. 39. Baronius anno 879.  
numero 2.

Obitus Ludouici III.

Carolus Crassus fit imperator.

CONCILIVM ROMANVM III.  
QVO PETRV IN CAVSA PHOTII RESTITVENDI  
missus est Constantinopolim anno Domini DCCCLXXIX.  
tempore Ioannis VIII.

NOTA.

\* *Concilium.*] Hæc Synodus auctoritate Ioannis papæ congregata  
Petrum aliasque adiunctos ei legatos ea facultate dumtaxat instru-  
Mmm iij

xit atque communiuit, vt Photium a censuris ecclesiasticis absolu-  
rent, & sedi Constantinopolitanæ restituerent: ad veram & german-  
nam Synodum octauam sub Hadriano pontifice habitam, reproban-  
dam: & particulam illam, *Filioque*, e symbolo penitus tollendam  
multa auctoritate iidem muniti fuerant. Hæc cum pateant ex epi-  
stola Ioannis 199. ad Basiliū imperatorem scripta, qua se in Photio  
sedi suæ restituendo, non Concilii dissipatione vel abrogatione, sed  
tantum dispensatione vti significat: secundo ex epistola 250. & 251.  
quibus indicat, se reprobare omnia, quæ præter restitutionem Photio  
acta sunt. Tertio ex ipso commonitorio per Photium corrupto  
& falsato, in quo episcopi subscriptentes profitentur omnes, se com-  
monitorio pro Photio restitutione subscribere, nos vero & germano  
commonitorio cuius 203. 250. aliisque pluribus Ioannis papæ episto-  
lis mentio fit, destituti, commonitorium illud quod a Photio cor-  
ruptum, & in Photianæ pseudoecclesia Synodi actione 3. lectum  
fuit, inferendum esse putauimus: tum vt inde acta huius Concilii  
confirmentur: tum etiam vt quæ auctoritate legatorum in pseudoecclesia  
Photiana Synodo Constantinopoli gesta dicuntur, falsita-  
tis & imposturæ manifestæ redarguantur. Commonitorium autem  
Græce scriptum & a Metio Latine redditum sic se habet:

*Joannes episcopus seruus seruorum Dei; commonitorium  
fratribus Paulo & Eugenio episcopis, similiter  
& Petro presbytero cardinali nostris  
Constantinopoli legatis.*

Commoni-  
torium a  
Photio  
falsatum.

**C**VM primum diuina fauente gratia & intercessionibus  
sanctorum apostolorum Constantinopolim ingressi  
fueritis, illuc diuertite quo præcipiet imperator: & ante-  
quam imperatorem visitaueritis, nulli alii apostolicas li-  
teras tradere velitis. Cum coram imperatore fueritis, li-  
teras illi tradetis huiusmodi verbis illum alloquentes: Sa-  
lutat vestrum ex Deo regnum spiritalis vester pater domi-  
nus Ioannes apostolicus papa, tuam ex Deo potentiam  
suis orationibus singulis diebus sancto Deo commendans,  
vt ille qui vobis hoc dedit desiderium propter ecclesiasti-  
cam pacem, tribuat vobis gratiam suam, & consoletur vos  
sua felici protectione, & perficiat in bonis desideria ve-  
stra. Si rogauerit imperator, antequam literas legat siue  
capitula responsionis nostræ, huiusmodi verbis illi respon-  
dete: Si iubet imperium vestrum, videat epistolam. Et si di-  
xerit: Quid continent epistolæ? illi respondete: Saluta-  
tiones continent, & omnino recte perficiunt. Postridie sa-

ANNO CHRISTI  
879. lutaturi Photium sanctissimum accedite, & epistolam illi tradite, salutantes illum decenter talibus verbis: Salutat te dominus noster Ioannes apostolicus papa, & vult habere te fratrem & comministrum, sicut scripsit imperator, vt propter pacem ecclesiae recipemus sanctissimum patriarcham Photium fratrem & comministrum nostrum, exaudiremus preces vestras, & præciperemus vt coram nobis veniat ad Synodum: & vt recipiat ipsum universa ecclesia: iuxta tenorem literarum nostrarum, illum recipite vt comministrum nostrum, atque vt ecclesiae Romanæ gratiam habeat, surgentes, illi dicite: Mandat dominus noster sanctissimus papa, vt omnes qui in diuersis locis extra terminos extiterint, siue episcopi, siue presbyteri, siue quiuis alii fuerint, & noluerint hucusque vobis communicare, vestro opere & labore vniuant ecclesiae Dei, & fiant vnum vobisfcum. Qui si venerint, recipite illos, vt pater recipit filios, eosque monebit saepius, vt propter pacem Dei ecclesiae idem sentiant cum apostolico, vt vnius sint cum ipso voluntatis: recipientes videlicet Photiu sanctissimum patriarcham & cum illo vna communicantes. Si autem venerint quicumque antea fuerant ordinati, recipient sedes suas; qui vero deinde fuerant ordinati, accipiunt ab episcopis ipsis vietum & vestitum necessarium.

Præsidentibus vobis in Synodo vna cum prædicto sanctissimo patriarcha & legatis orientalibus, vna cum reliquis archiepiscopis & metropolitis, & omnibus sacerdotibus Constantinopolitanæ ecclesiae, primum legantur litteræ ad imperatorem missæ: & interrogetur Synodus, si illas recipit, & si obseruat testimonia, quaे continent litteræ ipsæ. Quibus annuentibus, hæc dicite: Dominus noster sanctissimus papa omnium ecclesiarum curam gerens, salutem etiam vestram & vunionem & pacem procurans, misit nos seruos suos, vt dispersos congregemus, & dissidentes conciliemus, & ecclesiae misericordia manum porrighamus, lapsos erigamus, vt omnes uno ore glorificemus Patrem cum Filio & Spiritu sancto.

Sequentes Canones nostrorum patrum dicimus, vt post obitum Photii sanctissimi patriarchæ nullus a ciuili dignitate Constantinopolitanam sedem ascendat, quemadmodum etiam litteræ nostræ testantur.

Hic dempta aliqua superius notata de pentendo vniuersam eorum Synodo Photio impofita, addita vero alia, execratis literis intelligere potest.

Non preces  
tantum, sed  
excommu-  
nicationem  
continent  
Ioannis li-  
terae de Bul-  
garorum  
causa.  
Vides idem  
additamen-  
tum hic a  
falsario  
quod supra  
de abolen-  
da octaua  
Synodo  
fuit apposi-  
tum.

Volumus etiam, vt coram Synodo prædictum Photium sanctissimum patriarcham oretis, vt neque pallium in Bulgaria mittat, neque ordinet quemquam in ipsa prouincia. Si enim hæc fecerit, iuxta sacros Canones illum ar-

guemus.

Volumus præterea vt coram vniuersa Synodo promulgetur, quod Synodus habita aduersus prædictum patriarcham Photium tempore Hadriani sanctissimi papæ tum Romæ tum Constantinopoli, exnunc habeatur nulla & irrita, & non numeretur cum alia sancta Synodo.

Aduertite, vt iuxta mandatum nostrum ita ambuletis, neque muneribus vos corrumpi sinatis, neque adulacionibus, neque minis & terroribus declinetis siue ad dexteram siue ad sinistram, sed regiam viam incedite, tamquam habentes locum & potestatem nostram, quam vobis propter ecclesiæ pacem sumus impertiti, vt vestro labore & diligentia digne gratiam nostram, & apostolicæ sedis obtineatis, & nostræ communionis sitis heredes.

*S V B S C R I P T I O N E S E P I S C O P O R V M ,  
qui interfuerunt Romanæ Synodo, ex qua prodiit  
commonitorium & literæ Petro  
legato datæ.*

Zacharias episcopus ecclesiæ Anagninæ & bibliothecarius apostolicæ sedis in hoc commonitorio pro receptione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripti.

Martinus episcopus ecclesiæ Narniensis in hoc commonitorio apostolicæ sedis pro restitutione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripti: sic & aliqui sequentes.

Dominicus episcopus Triuenti.  
Florius episcopus Marturenſis.  
Gaudericus episcopus Velitrenſis.  
Stephanus episcopus Ferentinas.  
Leo episcopus\* Gabienſis.  
Petrus episcopus Foroſempronienſis.  
Leo episcopus Tarracinensis.  
VValpertus episcopus Portuenſis.  
Simeon episcopus Fundensis.  
Ioannes episcopus\* Siminorum.  
Benedictus episcopus.....  
Gregorius episcopus Siluae Candidæ.  
Bonifacius episcopus Bleranorum.  
Theodorus episcopus Gallesiensis.

\* Sabinen-  
fis.

Ste-



Stephanus episcopus Nepesinus.

*Presbyteri cardinales.*

Germanus presbyter tituli sanctorum Ioannis & Pauli.

Petrus presbyter tituli sancti Chrysogoni.

Benedictus presbyter tituli sancte Balbinæ.

Hadrianus presbyter tituli sancti Laurentii.

Ioannes presbyter tituli sanctæ Cæciliae.

*Diaconi cardinales.*

Paulus diaconus subscripti.

Leo diaconus subscripti.

Audisti, lector, additamentum Photii de abrogatione Concilii oecumenici VIII. sub Hadriano pontifice celebrati, iam superius apertissime redargutum falsitatis, ex recitatis Ioannis papæ VIII. epistolis. Sed detegitur in eodem commonitorio eadem etiam impostura ex ipsa subscriptione episcoporum, qua (vt ex supra positis vidimus) profitentur omnes, sc̄ commonitorio pro Photii restitutione suscribere. Quod si ex Synodi sententia definita fuisse damnatio oecumenica Synodi VIII. eademque commissa legatis in dato illis commonitorio, credibile vtique est magis eam suis subscriptionibus expressuros fuisse, quam Photii restitutionem.

\*CONCILIABVLVM

CONSTANTINOPOLITANVM

<sup>b</sup>OECVMENICVM PSEVDOOCTAVVM

<sup>c</sup>reprobatum, <sup>d</sup>CCCLXXXIII. episcoporum, quo post obitum Ignatii <sup>e</sup> restitutio Photii est confirmata, sancta & oecumenica Synodus octaua plane abrogata, & e symbolo illa particula, *Filioque*, sublata fuit, <sup>f</sup>anno Domini DCCCLXXIX. tempore Ioannis Papæ VIII.

N O T A E.

<sup>a</sup>Conciliabulum. ] Hæc Synodus Basilio imperatore & Photio procurantibus a Ioanne papa eius nominis octauo, ob Photii restitucionem dumtaxat, non vero (vt calumniose refert commonitorium quod actione II. huius Conciliabuli a Photio falsatum & corruptum inuenitur) ad octauæ Synodi abrogationem & reprobationem indicta fuit. Etiamsi enim germanum illud verum & incorru-

cur indi-  
ctum?

Commoni-

torium le-

garo datum

quale?

Commoni-

torium le-

garo datum

quale?

Concil. Tom. 24.

N n n